

tae sunt, congruunt; ideo ad fontem, hoc est, ad Novellas, est recurrendum, quoties de intellectu authenticæ aliquod dubium occurrit; dulcius enim, imò purius, ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Autoloxeia, sive proppricidium est delictum simplici homicidio atrocius, qui enim ob conscientiam perpetrati criminis, vel ob metum securitæ pœnæ, aut ob denegatum reciprocum amorem (quo flagrante amore stulti juvenes interdum virgines formosas amare solent) se ipsum gladio, sclopeto, veneno, fune, aquâ &c. dolotè occidit, gravius peccat, quàm qui alium interficit, quod ex subsequente ratione clarius liquet; quia is, qui alium innocentem malitiosè necat, corpus ipsius saltem è medio violentè tollit, animam non lædit; sed qui se ipsum ex desperatione occidit, is & corpus & animam simul perdere & perire creditur; teste S. Augustino, de civitate Dei C. 26. vide. tit. ff. § C. de bonis eorum, qui mortem sibi consciverunt. Nam nemo ex mortalibus membrorum vel vitæ suæ Dominus est, qui eam sibi ipsi non dedit, sed vitam Dei beneficio habet, eamque tam diu ducere debet, donec Deus vitæ humanæ & totius generis humani creator, eam pro suo beneplacito clementer revocet. His proppricidis sepultura ecclesiastica justè denegatur, qui sub tecto domus dejiciuntur, vel sub limine extrahuntur à carnifice, & supra rastrum educuntur, & in separato campo à licitoribus ignominiosè sepeliuntur; aliud statuitur, si quis furore mentis vel vi morbi correptus semet ipsum interficit, quia talis commiseratione, & non pœnâ dignus est, ob furorem & privationem mentis supervenientem.

Auxilium, opemve tulisse dicitur, qui fecit, quod potuit, l. 1. §. 35. ff. ad S. Ctum Syllan. nemo enim ultra suum posse obligatur, & juxta Poëtam: ut desint vites, tamen est laudanda voluntas: Ergò si videro alium à latronibus vel pessimis hominibus in tantum esse oppressum, ut eum, etiamsi libentissimè juvare velim, ob latronum multitudinem & vim juvare non possim absque summo mortis periculo, quo casu in conscientia excusor.

B*Ancum* rumpunt debitores, quando ære alieno nimium gravati aliquantis per à loco domicilii secedere & latitare solent; & sic foro cedunt, l. 7. §. 2. ff. depositi. Donec certis conditionibus cum suis creditoribus transegerint, ut creditores ipsis partem debiti remittant, & residuum vel statim creditoribus solvant, vel aliquam-
diu